

www.e-rara.ch

Exterminium Acediæ

Neumayr, Franz

Augustæ, Monachii, & Ingolstadii, [1755]

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rw 23

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-50746>

[S. 101 - 120]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Verum festina lente, *serve piger!* gratia doloris intensi est ingens gratia, & donum pretio sanguinis divini emptum. Acedia tua etiam spiritum S. offendit. Vide, utrum *ab offenso sperare* donum tam grande possis . . . Agite, Domini! Crescat luctus *de reatu acediae*; ita cor disponemus felicius ad recipiendum *intensi doloris* donum. Crescat luctus! Acedia nostra etiam Spiritum S. offendit, nam & ipse odio acediam, quo Pater ac Filius, eodem odit, quod est

PUNCTUM III.

Odium Spiritus Sancti.

1. **N**olite contristare Spiritum S. clamat Apostolus Eph. 4. Quid ita? Num cadere tristitia in spiritum potest, qui est fons omnis gaudii? Certe si posset, non aliunde vehementius contristaretur Spiritus S. quam a vitio *sua naturæ* directe contrario, hoc est, *ab Acedia*. Ipse est ipsa *substantialis lætitia*, per quam Pater & Filius *ex mutua complacentia* beati sunt: est mera *vita*, merus *actus*, merus *ignis*, quem Christus venit mittere in terram, ut accendatur. Quid magis repugnat *lætitiæ*, quam tristitia fastidium, segnities? & quæ res sibi directius opponuntur, quam *vitæ* mors, *actui* inactio, *igni* glacies? . . . Intellige, quæ illi conventio cum Acedia sit . . . *Vis inertia*, si Philosophis credimus, nulli *Spiritui*:

solis corporibus inest. Per hanc vim corpus resistit motui, quantum potest: nec illi soli, quem aliud corpus, sed etiam, quem Spiritus imprimat, sicut scriptum est Act. 7. *vos semper Spiritui S. resistitis!* Et contingit hæc resistentia duobus modis, positive, cum caro contumaciter concupiscit adversus spiritum, fovendo inclinationes contrarias: aut negative per omissionem serii conatus, quo Spiritus ageret contra carnem . . . Est vero tanta hæc vis inertiae in carne nostra, ut Spiritus solius arbitrii virtute diu obtinere non possit: accedere debet vis gratiae, roborantis voluntatem, ne corpus, quod corrumpitur, nimis aggravet animam . . . Quod si voluntas recuset cooperari cum gratia: vis inertiae vim gratiae superat . . . Quid sequitur? Victoria est in manibus acediae . . . Certe armistitium fit: differtur Conversio: bodie nihil fiet . . . Hem! Sic contristatur Spiritus S. & ex hac contristatione necesse est nasci odium Acediae in Spiritu S. cuius gratia nescit tarda molimina . . . Repente fit sonus de caelo, tanquam advenientis Spiritus vehementis, replens totam domum, Act. 2. Si clausam invenerit: prætervolat. Experta est sponsa in canticis. Januam pulsavit sponsus: ipsa moram traxit in aperiendo lectuli amore detenta. Quid fit? Mox facti pœnitens surgit: aperit: sed dilectus jam declinaverat, Cant. 5. Quæsit: & non invenit:

vocavit illum: at ille non respondit. Adeo displicuit *tantilla* acedia . . .

2. Conclude, quid futurum sit animæ pigræ, gratiæ irrigationes per vim inertix diu frustranti. Luc. 13. leges de alia arbore, quam inspiciens Herus dixit Hortulano: *Ecce! anni tres sunt: & singulis annis quæsi fructum ex ea: & non inveni. Succide ergo illam! ut quid terram occupat! . . .* Audis sententiam, *serve piger?* nam de te narratur parabola. Ecce 60. anni sunt, ex quo per Spiritus S. gratiam baptismi virtute in Ecclesia collocatus es. Quæro fructum baptismi, ait Deus. Fructus *innocentia* est: & non inveno . . . Anni 50. sunt, ex quo confirmatus es sacro chrismate. Quæro fructum *Confirmationis*. Fructus est *publica* mei famulatus *confessio*: & non inveno . . . Anni 40. sunt, ex quo *Sacramenta* Pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentas. Quæro fructum utriusque Mysterii. Fructus est *puritas* conscientiæ, & *elevatio* mentis ad æterna: & non inveno . . . Anni 30. sunt, ex quo *matrimonium* iniisti. Quæro Fructum gratiæ Sacramentalis. Fructus est *patientia* onerum, & *pia educatio* proles: & non inveno . . . Anni 20. sunt, ex quo ordinatus es Sacerdos. Quæro fructum *SS. Ordinum*. Fructus est *servire Deo* servitum perfectam, & *Ecclesiæ* servitum proficuum: & non inveno . . . Anni 10. sunt, cum extremum

inunctus es. Lata erat sententia: *succide illam!* Intercessit aliquis Sanctorum, & inducias impetravit. Fructus induciarum debuisset esse *conversio morum*: & non invenio. . . Querela amara! . .

3. Attamen, quam patiens est Spiritus Sanctus! . . Ipse *non usus* tot gratiarum merebatur, ut te tibi relinqueret, imo ut iustitiæ vindicativæ te traderet, etiamsi nullus accessisset *abusus*, qualis in *sacrilego usu* Sacramentorum committitur. . . Quousque autem patieris desiderari a te fructus tot titulis expectatos? . . Per quidquid amas, obsecro! noli contristare Spiritum S. & vi majore *vim inertiae* excute! . . Somnus tuus *frater* Mortis æternæ est! . . Baptismus, Ordo, Matrimonium te posuerunt in statu, & jus *ad gratiam vocationis* dederunt, per quam vires acciperes ad ferenda onera status. . . Hæc *gratia vocationis* non est una simplex gratia: est series & *catena gratiarum* continuo ex se dependentium. . . Bene uteris prima, secunda, tertia: gratulor! Sequetur quarta, quinta, sexta. . . Septima uti si per inertiam negligis: Heu! rupta est series! diffiliit annulus catenæ, fortassis nunquam deinceps reficiendæ! . . Quam profundus est somnus hominis, quem, non dico, nulla *vox* Domini, & nulla *lux* de Cœlo, sed neque tantus *strepitus*, atque *concussio* excitat! . . Putas, a *letbargo* differre? . . .

4. Intelligo jam, quid velis Domine, quando beatos vocas servos, quos inveneris *in omni vigilia* vigilantes Luc. 12. Nempe non sufficit vigilare in prima vigilia: æque gravis obligatio est vigilandi in secunda, & tertia, ut, quacunque hora veneris, *confestim* tibi aperire possimus. . . . Ecce anni tres sunt! Quid sibi hic determinatus numerus postulat? Non admones me, quod, sicut omnia in pondere, numero, & mensura fecisti: ita determinatus sit numerus gratiarum, quo completo, finis sit *vitæ salutaris*, aut forsitan etiam *vitæ naturalis*? . . Habent Medici *dies criticos*, ex quorum observatione de statu morbi judicant propter alterationem humorum, quam pro illis diebus expectant. Quid si Spiritus Sanctus similiter *gratias criticas* numerat, a quibus si in ægro nulla efficiatur mutatio, actum sit de salute? . . Heu! *Gratia critica!* formidandum Mysterium! Media nocte illa Virgines fatuas excitavit quidem, ac terruit, sed cui bono?

5. Ah! cui bono? æterno a nuptiis exilio miseræ suum somnum luerunt. Et adhuc Simon dormis? Neque ambæ aures tinniunt pigro ad vocem horrendam: *Nescio vos?* . . Domine! Quid est a te nesciri, qui omnia scis. . . Sponse animæ meæ: ergo æternum inter nos divortium erit? nam quomodo amabis animam, quam nescis? . . O infelicium omnium infelicissima Creatura, quam nescit

Creator, Redemptor, Sanctificator, quia nescire vult, & pœnitet eum *fecisse* hominem, pœnitet *redemisse*, pœnitet *Sanctificasse*! O tristis pœnitentia, cujus vel sola cogitatio medullam ossium siccet! . . . Et tanti mali causa acedia sit, *Acedia*, vitium, quod vix a paucis inter vitia numeratur? vitium, de quo vix quisquam se in sacro tribunali accusat? vitium. de quo nemo erubescit: nemo metuit malum: nemo remorsum sentit? . Enimvero *Acedia* tanti mali est causa, quia *servus piger non salvatur: & Acedia* fecit, *ut sim servus piger*: nam qua fronte possum negare *banc Minorem*? . . . Sequitur funesta conclusio: *ergo non salvabor!* nempe quam diu *acediam* amo! . . . Quousque amabo autem? Exurge in iram anime! Nemo irascitur *justius*, quam qui sibi irascitur. Nunquam *in causa*, rarissime *in modo* hæc ira peccat. . . . Exurge anime! neque ut Heli cum filiis egit, languide tecum age. . . *Amor proprius* hanc furiam fovit, quæ te Spiritui S. exolum fecit. Damnetur ad pœnitentiam! Et ne ipsa pœnitentia langueat, ac *sive pœna* sit: damnetur ad *intensum* dolorem, ad confessionem *rigidam*, ad satisfactionem *diuturnam*! . . . Nemo me magis læsit, quam ego: totius Trinitatis odio me dignum reddidi! Luam! sic bene me amo. . . .

Colloquium.

SS. Trinitas unus Deus, miserere mei! . . .
 Si tu pro me tam parum egisses, ac ego
 pro te, quis essem? . . . Ah! Pater de caelis
 Deus! nihil essem! . . . Fili Redemptor Mun-
 di Deus: Filius irae essem! . . . Spiritus S.
 Deus: titio inferni essem! . . . Deus! *Secun-*
dum misericordiam tuam vivifica me in acediae
 exterminium, per quam unam huc usque ste-
 tit, quod tibi non dixerim: *vivifica me, &*
custodiam testimonia tua, & mandata solis
servis pigris molesta. . . . Poenitet in hoc nu-
 mero fuisse! . . . Poenitet *vitae praeterita!* . . .
 Multa mala feci! . . . parum boni! . . . & hoc
 ipsum parum bene! . . . absurda historia! . . .
 talis vita, nunquid vita? totum nihil valet!
 incipiamus ab initio! . . . *Surgamus!*

Initium a poenitentia fiat. Homo poenitens
autem est homo sibi irascens. Tempus irae
est tempus Examinis. Eia! Nemo hodie cu-
bitum eat, nisi prius dixerit sibi: Fatue!
atque procrastinationem poenitentiae per in-
tensum dolorem damnaverit. Punite ser-
vum pigrum, punite sine misericordia. . . .
Hodierna dies doloris fuit: Dolor est
irae Pater. Ira facit peccatis finem. Iras-
cimini! & deinceps noletis peccare. Tar-
datum satis est. Oportet Deo servire cito!
Hac resolutio sit fructus diei imae actae in
Dolore ad exterminium acediae, pro emen-
datione

*datiōne vitæ præteritæ. . . . Dies crastina
erit dies amoris, qui nos urgebit, ut ser-
viamus Deo Serio. Ita ad exterminium
acediæ ordinabimus vitam præsentem. Utri-
que conatui benedicat Deus Pater, & Fi-
lius, & Spiritus Sanctus!*



Dies



Dies II.

Laudetur Jesus Christus!

R. in æternum.

Contendite intrare per angustam portam! . .

Est Abortatio D. N. I. C. . . Contentionis nomine intelligit Dominus diligentiam in salutis negotio cito agendo, quod heri expendimus: & serua agendo, quod hodie statuemus. Dies hesternus dies doloris fuit, ex cuius impulsu decrevimus emendare vitam præteritam, corruptam ab Acedia, quæ nos totius Trinitatis odio dignos fecit. Maledicta acedia! . . Dies hodierna dies amoris erit, ex cuius regulis ordinabimus vitam præsentem ad exterminium acediæ, quæ hominem inutilem Deo ac Mundo facit. Maledicta Acedia! . . Est igitur huius diei Scopus hæc Resolutio: volo servire Deo, non solum cito, sed etiam serio, quocunque labore constet. Surgite! accendet fervorem

MEDI-

MEDITATIO. I.

De amore Dei.

Puncta sunt duo: Motiva amoris exhibet Punctum unum. Modum amandi expendit unum. Fructus sit Fervor amoris. Cum S. Francisco in contemplatione Dei nostri absorpti clamemus: Deus meus, & omnia! Deus, & omnia! Iterumque cum S. Ignatio: Amorem tui solum mihi dona: & dives sum satis! . . . Sedeamus.

PUNCTUM I.

Motiva amoris.

I.

Objectum amoris nostri est unicum, *Deus*: Sed sub gemino titulo. *Deus amabilis*: quis non amet? *Deus amans*: quis non redamet? . . . Beati in cœlo Deum *necessario* amant 1. quia illum vident *clare*, & de facie ad faciem, non in ænigmate. 2. Quia intelligunt Deum esse bonum *purum*, bonum *omne*, bonum *summum*. . . . Nempe *Bonum* est objectum voluntatis. Voluntas ad illud propendet, & inclinatur *fortiter*, si cognoscit esse bonum simpliciter: *fortius*, si cognoscit esse bonum bonis aliis majus: *fortissime*, si cognoscit esse bonum purum, bonum omne, bonum summum. Tunc enim (modo cogni-

cognitio *clara* sit, & nulli dubio, aut formidini erroris conjuncta) jam non inclinatur, sed rapitur per suavem violentiam, cui resistere non est in potestate, saltem nisi avertere intuitum in aliud objectum possit, quod Beati non possunt. Itaque difficultas, quam in amando Deo nos experimus, geminos fontes habet, obscuritatem cognitionis, & errorem apprehensionis. . . *Obscura* est cognitio Dei, quia de natura ipsius, & perfectionibus *ad intra* potius scimus, quid non sint, quam quid sint: de perfectionibus *ad extra* autem *erronee* judicamus, & ex operationibus earum Deum apprehendimus formidabilem magis, quam amabilem. . . . Verum istæ excusationes sunt pulvilli *acedia*, quos consuit sibi, ut quietius dormiat. Auferemus, si expendemus, quam *amabilem* Perfectiones ad *intra*: quam *amantem* Perfectiones ad *extra* attendenti exhibeant.

2. Dei natura in hac vita non nisi *per negationes* a nobis cognoscitur. Quid tum? aio: vel solas negationes sufficere ad formandam de Deo Ideam *summe amabilis*. . . Intelligo ex Ratione & Fide, quod Deus sit *Ens a se, non ab alio: unus sine equali: æternus sine initio & sine: immensus sine limitatione ad locum: independens sine indigentia opis alienæ: immutabilis, invisibilis, immortalis, infinitus in omni genere perfectionis.* Quid? Non sufficit, ut exclamem: *Quis ut Deus?*

Deus? . . . Non jam vel hæc sola cognitio debet amorem *appretiative* summum producere, hoc est, inclinationem voluntatis Deum *practice* super omnia appetientis, & ideo eligentis mori potius, quam Deum offendere? *Bonum majus* est Deus, quam vita mea: igitur recta Ratio postulat, ut *magis*, quam vita, ametur. . . . Hem! Ipsæ *Negationes* hoc affirmant. . . . Et quid docent *affirmationes*? *Affirmative* Deum esse *summe amabilem* Cœlum, terra, Infernus testantur. . . . Quid vero? *Infernus* Deum esse *amabilem* prædicat? Ita: hoc affirmo. Attendite. . . . Prædicata Dei *affirmativa* sunt, quod sit Potens, sapiens Bonus, Dives, Iustus, Sanctus, & ejusmodi sine fine. Euge! Quod ex omnibus non est *amabile*? . . . Potentiam, & Bonitatem *Cælum* enarrat. . . . Si *admirabilis* videtur, qui tantum opus fabricavit: non ille omni amore *amabilis* censeatur, qui tantam potentiam non, nisi ad bonum nostrum, impendit? . . . Sapientiam *terra* laudat, exultans in divitiis suis, & per curam sui Gubernatoris beata. Tanta Liberalitas, & semper vigil Providentia non *amorem* meretur? . . . Iustitiam *Infernus* celebrat. Iustitia fortasse sola non est *digna amore*? Quidni? Infernus locus est tormentorum: quis amet eum, qui locum tam crudelem ædificavit? Ita loquitur *amor sui*. Sed aliter fides, aliter sana Ratio sentit. . . . *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum de meretrice magna* Apoc. 19. hoc est, de Eccle-

Ecclesia impiorum! clamat Fides. . . Iustitia Dei *sancta* est: quod sanctum est, laudabile est: quod laudabile est, bonum est: quod bonum est, amabile est: igitur *Iustitia* quoque amabilis est! ita discurret *Ratio*. . . Et recte discurret. *Sanctitas* enim Dei omnes perfectiones, quæ se nobis *terribiles* exhibent, si seorsim considerentur: *amabiles* facit, si considerentur *ut Sanctæ*. . . Juvat cantare: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus*, nec jam amore solum *appretiative*, sed etiam *affective* summo amabilis! Sancta Potentia est, quidquid moliatur! Sancta Sapientia, quidquid decernat! Sancta Justitia quantumvis auster! . . . Ita, anima mea! etiam *Deus austerus* amabilis est. Sanctus, Sanctus, Sanctus *Dominus Deus!* Nihil in ipso non sanctum est. . . *Sanctus Deus* in perfectionibus *negativis*, quæ quidquid imperfectum est, ab ipso auferunt *ad intra!* . . . *Sanctus Dominus* in perfectionibus *affirmativis*, quæ ipsi, quidquid est Servo optabile, adjiciunt *ad extra*. . . . Uterque titulus demonstrat ipsum *omni amore* amabilem esse. . .

3. Itaque *omni amore* amemus. Nulla excusatio ab amando excusat. Non cognoscimus Deum, nisi per speculum, in ænigmatibus, in negationibus: Satis est. . . Jam ex hoc ipso titulo scimus, quod superet omnem scientiam, & *incomprehensibilis* sit: & ex hoc ipso prædicato nascitur desiderium tantum bonum

semper amplius cognoscendi, amplius amandi. Amemus *amore Complacentiæ*, & congratulemur ei, quod sit *omne bonum in se*. O amabilis *Deus*, quam gaudeo, quod sis, qui es! . . . Apprehendimus in Deo prædicatum *austeri*, tanquam prædicatum, quod Dominum servo minus amabilem reddat. Nihil refert. Corrigitur *apprehensio*, si intelligitur, quod austeritas Dei semper sit *Sancta*. Quidquid enim sanctum est, amabile est. Amemus *amore Benevolentiaë*, & congratulemur, quod sit *purum bonum in se*. O amabilis *Dominus!* Utinam totus Mundus te diligat! . . . O omni amore amabilis Deus! Omni amore amabilis Dominus! . . . Aio: *omni amore!* & nolite, obsecro, ullum *amoris genus* omittere. Dignus est *Deus* amore *complacentiæ*: amemus, & gaudeamus, quod sit, qui est, *omne bonum in se!* . . . Dignus est *Dominus* amore *benevolentiaë*: amemus, & optemus, ut omnes servi cognoscant esse talem, qualis est, *purum bonum in se!* . . . Amemus etiam amore *Concupiscentiaë*. Dignus est concupisci a me Deus meus, Dominus meus, *summum bonum pro me!* . . . Amemus etiam amore *concupiscentiaë!* Ex his enim tribus amoribus denique amor summus, *amor amicitiaë* componitur, qui non est perfectus, nisi præter complacentiam, & benevolentiam de bonis amici, concupiscat insuper, amico frui, & cum illo cor unum, a que una anima fieri. Amor *amicitiaë* non est, qui non est

est *mutuus* amor. Amemus igitur Deum, non solum, quia est *amabilis* Deus, sed etiam quia est Deus *amans*. . . Eia! vel si rumpatur cor præ amoris vehementia: nihil refert. Nemo nostrum potest felicius mori. . .

4. Deus ab æterno est *Deus*: sed non ab æterno est *Deus meus*: multo minus ab æterno *Dominus meus*, nisi quis absurde appellare illum velit Deum *nibili*, Dominum *nibili*. . . Itaque in tempore fecit me, ut posset esse Deus *meus*, & Dominus *meus*. . . Quid deinde? Nunquid rem magnam lucratus est Deus, cum factus est Deus *meus*, Dominus *meus*? . . . Nihil lucratus est, qui *omnia* est. Hoc uno fine produxit me ex nihilo, ut exercere posset suam Bonitatem, & haberet, quem æternum beatum redderet. Hoc est: Fecit me Deus, ut esset *Dominus meus* in tempore, & si obedirem ut Domino, esse posset *Deus meus* in æternitate. . . Deus enim, Deus erit merces servitutis meæ, si non sim servus piger, aut nequam. . . O Merces magna nimis! . . . Quid? Non in hac sola narratione palpatis, Domini! quam sit *amans* nostri *amabilis* Deus? . . . Me hæc una consideratio mirifice afficit: *Deus factus est Dominus meus in tempore, ut possit esse Deus meus in æternitate!* . . . Sed expectate. . . Duæ circumstantiæ sunt, quæ *beneficium creationis meæ* mirum quantum extollunt, etsi fortasse a nullo vestrum unquam

expensæ. Nempe creavit me Deus non cæce, aut invitus, sed *sciens* ac *volens*. Jam attendite, quid istæ voculæ velint *sciens*, ac *volens*, . . .

5. Creavit me Deus, non nesciens, sed *sciens*, quid faceret, & quidem per omnem scientiam *sciens*. Distinguiamus in Deo triplicem scientiam. Primam appellamus *scientiam simplicis intelligentiæ*, per quam Deus intelligit, quæ possibilis sint, & quæ non. Creavit me Deus, *sciens*, multos miliones hominum possibile esse meliores me. Illis tamen in abyſſo sui nihili relictis, protraxit me. O Deus amans! . . . Alteram scientiam vocamus *mediam*, per quam Deus intuetur non, quid *re ipsa* futurum sit, sed quid *sub certa conditione* futurum esset. Creavit me Deus *sciens*, quod multi miliones hominum, si in iisdem circumstantiis crearentur, & viverent, in quibus ego creatus sum, & vivo: multo fidelius, multo ferventius ipsi famulaturi fuissent, quam ego: nihilominus me præ illis creavit. O Deus amans! . . . Tertia est *Scientia visionis*, per quam Deus ab æterno prævidit omnia, quæ, & quo loco, quo tempore, per quos, quo modo, *absolute* futura sint. Prævidit ergo me fore hominem ingratum, de quo sibi olim esset plangendum cum gemitu: *Pœnitet me fecisse hominem!* Et fecit me tamen, forte quia simul prævidit, fore, ut me mature ac serio ad ipsum con-

ver

vertam. O Deus amans! . . . Væ mihi, si
 spem amanti per infamem acediam malitiose
 evertam! . . . Verum non sciens modo, sed
 etiam volens creavit me Deus, volens, non
 invitus. . . . An potest aliquis invitus ama-
 re? . . . Cogi ad amandum nemo potest: cer-
 tum est terminos intelligenti. Potest tamen
 aliquis vere invitus rapi in amorem. . . Ini-
 micum habes, quem pessime odisti, unaque
 cum ipso totam ipsius familiam. . . Contingit,
 ut ad te veniat filiulus inimici, innocens,
 ingenuus, formosus, facundus. Quantum-
 vis repugnes, senties ab amore te uri. . . .
 Adami, inimici Dei, filius ego sum. For-
 tasse ejusmodi dotes in me conspexit Deus,
 quæ amorem erga me extorquerent vel no-
 lenti amare? Minime gentium! . . . Cum ni-
 hil essem: imo, quod plus est, cum adhuc
 inimicus essem, amavit me! . . . Dignum odio
 amavit! adeo nihil in me erat, quod ad aman-
 dum vel inclinaret. . . Itaque volens, liberri-
 me volens amavit, quia non amavit me ideo,
 quod essem, sed ut essem dignus amore. A-
 mando dignum amore fecit: & nisi me ultro,
 atque indignum amasset: adhuc nihil essem,
 aut inimicus ipsius essem, indignus amore. .
 Enimvero elegans & plena amœnitatis est hæc
 amoris historia. . . Sed nondum est finis.

6. Sciens ac volens amavit me Deus, &
 amavit me affective quidem, sicut omnes ho-
 mines: affective autem plus, quam pleros-

que homines. . . . Omnes, omnino omnes *affectu pari* creavit, redemit, Cœlo destinavit: omnes *serio* vult salvos fieri, . . . Sed *in effectu*, uti *media sufficientia* ad salutem dat omnibus: ita *abundantia* dat, quibus vult, ita, ut dici possit, quod alios amet in gradu *positivo*, alios in *comparativo*, alios in *superlativo*, prout cuique plura, aut pauciora talenta, ac gratias sive internas, sive externas largitur. . . . Inter quos ego me numero? . . . Scio, Deus mi! quod multa millia hominum plus, quam me, amaveris, ames, & amaturus sis: Recte! merito! sancte! . . . Sed & hoc scio, quod me plus ames, quam multos milliones hominum, puto, plus quam omnes qui nunquam ex abyſſo sui nihili emergent; plus quam omnes, qui in umbra mortis, & tenebris infidelitatis sepulti sunt; plus quam omnes, qui nullo concessio pœnitentiæ spatio de peccato in infernum præcipites acti sunt: plus, quam tertiam partem angelorum amasti me! Superi! Congratulamini mihi! . . . Inferi! non invidetis? . . . *Affective* a Deo amor, ut omnes: *effective* plus, quam plerique! . . . Et possem super quam plurimos proximius cordi divino me applicare, si vellem cum illis in amando *contendere*! verum sicut Cainum *invidia*, ita me *acedia* impedit, quo minus contendam! . . . Maledicta acedia.

7. Itaque (o pudenda confessio!) sic amatus a Deo (ipse irascor mihi!) difficulter
a me

a me, ut redamem Deum, impetro. . . Equidem sæpe dico: *O Deus, ego amo te!* Sed linguæ reclamatur cor, & dicit: *Mentivis!* . . . Certe ipse mihi suspectus sum, an *vere* te amem, Deus mi! . . . Quod tu me ames, argumenta habeo, non tot, quin plura: quod autem ego te amem, nullum, nullum omnino suppetit, quod convincat. Omnia *dubia* sunt! . . . Dulcescit nonnunquam pectus ab amoris affectu: sed quis me securum facit, quod sit sincerus? . . . Amor est aurum, quod, nisi in igne, non probatur. . . Eheu! Ambigua quæstio est, utra miseria grandior sit, si Creator expers amoris esset erga creaturam: an si creatura expers amoris sit erga Creatorem? . . . O Deus *amabilis!* . . . O Deus *amans!* . . . Quantum me ista cogitatio cruciat! . . . Quod amem meipsum, scio: utinam sancte amarem! . . . Quod amem aliquos homines, etiam scio: utinam omnes caste amem! Insuper quod amem opes, amem honores, amem delicias, amem sanitatem, amem vitam meam, scio! scio! utinam *moderate* amarem! . . . Hoc unum nescio: utrum *serio* te amem, o amabilis Deus! o amans Deus! de hoc dubito! . . . O amor, infelix amor, in quot rivulos divideris, qui deberes in unum Deum effundi! . . . Cor, quod est sedes amoris, unum est. Unum *uni Deo* debetur. . . Unus per omnia prædicata sua *amabilis* est: unus *ametur!* . . . Unus me sciens ac volens *amat*: unus *redametur* a me! . . . O *ex omni*

titulo amabilis Deus! O *omni modo* me amans Deus! cæteris donis *donum amoris* adde! . . Imo aufer omnia dona reliqua: unum dona amorem tui: jam dives sum satis! . .

Bene habet, Domini! desiderium amandi exarsit ex consideratione *de motivis amoris*. Erumpat in flammis, & corda omnium beato involvat incendio ex doctrina *de Modo amandi*, quod est.

PUNCTUM II. Modus amandi.

I.

Paucis rem explico. Modus amandi Deum non potest cogitari perfectior, quam quo amatur Deus *omni modo*, & amatur *sine modo*. . Cum dico, Deum amandum esse *omni modo*, intelligo, amandum esse per omnes actus, quos charitas potest *elicere*, & per omnes actus, quos charitas potest *imperare*. Cum dico, Deum amandum esse *sine modo*: volo, ut neque *extensioni*, neque *intensioni* amoris limes ponatur. . . Porro actus charitatis *eliciti* sunt trium specierum actus, ex quibus dicebam *amorem amicitiae* coalescere. Amici enim habent *mutuam complacentiam* de bonis, quæ uterque possidet: *mutuam benevolentiam* de bonis, quibus uterque caret: & *mutuam concupiscentiam* reciprocae præsentiae, mutuique gaudii de possessione
utrius-